# SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

*Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino*

**JOANNE BAPTISTA**

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII


S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

**BUSSI**

ARCHIEPISCOPO

*Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiae morem,*

*Die 24 Augusti 1835.*



BENEVENTI MDCCCXXXV.

Apud Petrum Paulum Paternò Typographum Cameralem.

# JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS

## Decretum de Synodi aperitione.

*In Nomine Sanctissimae, et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti Amen.*

Nemo certe est, qui inficias per hœc tempora ire queat, novas semper in Ecclesiam impendere procellas; cum homines blasphemi, et voluptatem magis, quam Deum amantes audacter nostræ Sacrosanctæ Religioni obtrectare non desinant. Quo sane velociori cursu ingruentia mala procedunt in Fidem, eo validius contra adstare debent altaris ministerio mancipati; quibus procul dubio adversus nequitiam pugnantibus bene prospereque omnia succedent, si juxta

Apostoli monitum (a) assidue vigilent, in omnibus laborent, et ministerium suum ad Ecclesiæ disciplinæ tramitem exacte, et illibate adimpleant. Sæpe enim sæpius, vobis Ven: Fratres, declaratum est, servatum disciplinæ tenorem esse de Fidei deposito custodito testimonium apertissimum.

Jam vero cum Ecclesiæ disciplina recta Beneficiorum administratione maxime contineatur; illius tenor servabitur, et in tuto erit Fidei depositum, si Synodalibus Constitutionibus assequamur, ut Canonici, Parochi, et alii Titulares vel Clerici sibi persuadeant ea omnia, quæ ipsorum est ediscere, et custodire. Multa eorum officium respicientia usque modo per Nos exposita sunt, et demandata; nihilominus fateri debemus, quod rem vix attigimus, et prælibandam proposuimus, cum alia plura supersint edenda atque stabilienda, ut opus tanti momenti absolvatur. Quædam pauca sunt, quæ in præsenti nos concitant, et propterea hæc tantum tractabimus undecima Synodo, quam indictam hac consueta die 24. Augusti anni 1835. ad omnipotentis Dei, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimæ Deiparæ, S. Michælis Archangeli, B. Ap. Bar-

(a) *Ad Timoth.* 2 *c.* 4.

tholomæi, Ss. Pontific. Nostrorum Januarii, et Barbati; Ss. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum, cæterorumque nostræ Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem et laudem apertam esse, atque inchoatam volumus, decernimus et promulgamus.

## TITULUS PRIMUS

### *De confirmatione Synodorum, usque modo celebratarum.*

Diæcesanas Synodos per Nos, et a Prædecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quæ his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub pænis in illis statutis, et comminatis.

## TITULUS SECUNDUS

### *De Præbendis, et Dignitatibus.*

Cum in Synodo anni 1826. tit. 2. late de Chorali servitio, et aliis rebus Canonicorum officia respicientibus actum sit, nihil aliud restat, nisi exquirere plenam observantiam eorum omnium, quæ tunc præ-

scripta fuere, præcipiendo, ut eadem iterum in hac Synodo pro sancitis et constitutis habeantur. Quoniam prudentiores Canonici sæpe in deliberandis alicujus momenti negotiis ea, quæ sentiunt, ad jurgia, vel invidiam evitandam aperire cum Ecclesiæ detrimento verentur; ideo in Statutis Capitulorum dispositum reperitur, ut hujusmodi negotia per secreta suffragia definiantur. Ne uberrimæ utilitates, quæ ex tam laudabili providentia obveniunt, strictiori, quam par est illius interpraetatione evanescant; Præfecti Capitulorum præ ceteris insistant, ut latiori, quo fieri potest, sensu favorabilis præscriptio illa accipiatur, et fideliter servetur.

Præterea ferendum non est, Dignitates, Canonicos, atque alios adhibere in privatis, vel publicis functionibus palmatoriam sine Apostolico privilegio, vel hoc uti extra modum et formam, inibi præscriptam; item paramenta desumere de altari; plures ministros cotta indutos pro Sacrificio Missæ, atque famulorum ministerium habere in lotione manuum. Sacra Rituum Congregatio pluries definivit, id esse unius Episcopi, non obstante in contrarium quacumque consue-

tudine (a) Præterea eadem sacra Congregatio definivit non licere Dignitatibus, Canonicis, aliisque privilegio gaudentibus cappæ supra rochetum, hæc insignia adhibere extra propriam Ecclesiam, quando Collegialiter non incedunt, nisi in præfatis privilegiis cautum expresse fuerit, privilegiatos uti posse Apostolico Indulto in alienis Ecclesiis, etiam cum intersint uti singuli. Hæc et alia præscripta quoad sacros ritus Sacrarum Ceremoniarum Magistri invigilent, ut observentur, et arceantur abusus invecti, vel irrepentes, certiorem faciendo Curiam Archiepiscopalem pro opportunis coercitionibus in casu obstinatæ inobedientiæ.

Studeant beneficiati facultates Ecclesiæ ex condicto insumere; quoniam recta beneficiorum administratio, qua disciplina maximæ continetur, et fidei depositum idcirco servatur, non solum requirit, ut ii injunctum officium adimpleant, sed etiam ut fructus erogent in usus præfinitos. Et sane quidem cum Clerici bono redituum usu ostendant beneficia suscipere non habendi cupiditate, sed pietate subveniendi, obtrectationes de Cleri divitiis cum subsequentibus

(a) *Decr. general.* 31 *Maii* 1817. *In Mediolanen.* 18 *Aug.* 1625, *et alibi.*

infandis calamitatibus removebunt, et cum magno fidei incremento prælucebunt plebi insignibus pietatis operibus, animique alienatione a re temporali. Serio beneficiati perpendant, beneficia esse velut commune patrimonium Clericorum et pauperum, atque reditus Ecclesiæ eorum Fidei et curæ uti simplici administratori, et Oeconomo, esse concreditos; et ideo non licere eos ad libitum erogare, et ad explendas ac fovendas voluptates. Diœcesana siquidem Coloniensis Synodus anni 1300. prohibuit Clericis, ne mobilia legarent, nisi favore Ecclesiarum et pauperum; consanguineos vero illis donare permisit, quatenus pauperes, vel ratione obsequii præstiti « *Sed intuitu eleemosinæ pauperibus, Religiosis, et piis locis, et illis qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt* « Subjicit Concilium Lambethense anni 1830. « *dum proximis consanguineis bona Ecclesiastica congregant, iram Dei, et damnationem perpetuam thesaurizant.*

Nec Clericis Beneficiatis juvabit propriam conscientiam illudere, ex quo rerum proventibus beneficii comparatarum habere possint hæredes ex testamento, vel ab intestato. Videant ipsi, ne male potius mereantur de

iis, quos hæredes nuncupant enunciatis bonis, quoniam, juxta graves Auctores, ad hos nihil transmittunt præter obligationem a se prætermissam ea erogandi in usus pios. Testatores enim transmittere, et hæredes recipere hæreditates minime valent, nisi oneribus gravatas hæreditariis bonis inhærentibus: certum autem est, inexorabili Ecclesiæ lege, pia fundatorum voluntate, et traditione constantissima Ecclesiæ bona illigari oneribus sustentationis ministrorum, divini cultus augmenti, alimentationis pauperum, et Ecclesiarum, sacrorumque ædificiorum reparationis.

## TITULUS TERTIUS

### *De Fide Catholica*

Certum firmumque est, eos omnes, qui adversus præstitutum ordinem aliquid moliuntur, *statum Ecclesiæ, quantum in ipsis est, perturbare* (a). Perturbatur ergo Ecclesiæ status a Presbyteris, vel inferioribus Clericis, qui munus docendi vel concionandi exercent sine licentia Curiæ Archie-

(a) *Encycl. Greg. PP. XVI* 15 *August.* 1832.

piscopalis, aut prætergrediuntur finem et modum ipsis in talibus licentiis præsignatum. Abusum profecto est, quod Concionatores, neglecta methodo consueta, plebem Quadragesimali tempore alloquantur forma Sacrarum Missionum; e quibus cum alienæ sint eorum institutiones et conversatio, admirationem magis, et obtrectationes, quam animarum salutem, vel morum emendationem adipiscuntur. Ii enim, a quibus hæc, et similia patrantur, non agunt secundum ordinationem Sacrorum Canonum vetantium; ipsos *docendi, et concionandi munus sibi sumere sine sententia Episcopi, cujus fidei populus est creditus* (a). Quapropter nemo Presbyterorum, vel Clericorum talem honorem sibi sumat, nisi fulciatur privilegio, vel debitis concessionibus Curiæ Archiepiscopalis; neque id muneris expleat præter modum definitum vel consuetam formam. Vicarii Foranei et alii Rectores Ecclesiarum, cum sine perturbatione ordinis præstituti ferre aliter nequeant, quemquam debitis licentiis carentem non patiantur in suis Ecclesiis docere, vel concionem habere, aut alia forma verbum Dei annuntiare, præter eam,

(a) *Cit. Encycl.*

quæ ipsi præscripta est litteris patentalibus, aut consuetudine.

Presbyteri autem, quorum spectatæ prudentiæ committitur tam nobile ministerium, salutem animarum et Dei gloriam unice quærentes, curent auditorum captui, præcipue in parvis Oppidis sermonem accomodare. Sit insuper actio gravis et modesta, non fracta, non scurrilis, aut mimica. Omnis apparatus Religionis majestatem exhibeat, et inania spectacula non protendat.

## TITULUS QUARTUS

*De libris improbatæ lectionis.*

Viri supramodum elati exierunt de grege Philosophorum præteriti Sæculi: putarunt illi se benemereri de scientiis, si abdita naturæ alio plane adverso ordine, quam a religione tradito, inquirerent atque docerent. Cum itaque Deum principium omnium veritatum stulte non respicerent, ita misere in suis scrutationibus defecerunt, ut quemquam prudentiorum pudeat nunc Sectatores nancisci, et ordinem a majoribus semper custoditum manifesto Societatis damno ulterius præterire. E regionibus quippe,

ubi errores omnes, et irreligio fautores habent, libri eduntur purioribus religionis ideis referti. Acute quidem, et laboriose præ cæteris nuperum opus perscrutatur dispositionem Orbis terrarum et virtutes elementorum, vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, anni cursus, et Stellarum dispositiones, differentias virgultorum et virtutes radicum, vim ventorum et quæcumque sunt absconsa et improvisa. Verum in his omnibus, evoluta mirabiliter arcana, et præcogitata inter se congruentia ad finem, Deum, et omnium Artificem videri Sapientiam invincibiliter ostendit. In ipsis præterea regionibus denuo typis excuduntur celebratiora opera Sanctorum Ecclesiæ Patrum, ad hoc ut facultates naturales adglutinentur, et subjiciantur sicut prius veritatibus revelatis.

Dum boni gaudent, quod in sinu etherodoxiæ pristina luce veritas clarescat, angi animo debent, quod e contrario seductio emineat, ubi Apostolicum Magisterium expeditius infallibilia manifestans oracula sanam doctrinam nativa puritate intemeratam custodit. Libellus enim Italico idiomate impressus, cujus titulus » *Nuovo piano d'istruzione d' Ideologia Sperimentale di Giovanni Reguleas Dottore di Filosofia ec.* »

exivit Cathania anno 1833. theologica censura dignus, atque ideo decreto Sac. Congregationis Indicis diei 26 Novembris elapsi anni 1834 damnatus et improbatus. Non prætereundum tamen hic est ad divinæ miserationis gloriam; enunciati libelli auctorem exemplum lucidissimum præbuisse veræ erga Apostolicam Sedem observantiæ, decreto laudatæ Sac. Congregationis laudabiliter se submittendo. Utinam hunc imitentur, si qui sint similiter decepti, et aberrantes a fide! Circa libellum denuo proscriptum observetur quidquid alias dispositum est, et signanter tit. 4 Synodi elapsi anni 1834.

## TITULUS QUINTUS

### *De iis, quæ ad universas Constitutiones pertinent.*

Omnes ad quos spectat, pro ea parte, quæ singulos tangit, præcipimus ut suam quisque obligationem agnoscat, præcipue Canonici, et alii de nostro Capitulo, vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parochi, et Archipresbyteri, et Beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo quod ad vitam et honestatem Clericorum pertinet, infra mensem, postquam impressa fuerit hæc no-

stra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub pæna arbitrio nostro infligenda. Mandamus præterea, ut in qualibet conferentia casuum coscientiæ, et Ss. rituum habenda in singulis locis Diœcesis juxta Synodales Constitutiones, legatur et explicetur per Præfectum dictarum Conferentiarum unus saltem titulus tam hujus, quam nostrarum præcedentium Synodorum.

FINIS

*Judices et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes præcedentibus Synodis electi. Et insuper inter Examinatores adjecti*

*Ex Clero Sæculari Urbano*

*Illris. et adm. Rev. Dominus Franciscus Xaverius Palmieri Ecclesiæ Metrpolitanæ Canonicus*

*Rever. Presbyter Cajetanus Quatraro Ecclesiæ Parochialis S. Angeli, Portæ Summæ Rector.*

*Ex Clero Regulari Urbano.*

*Reverendissimus Pater Ferdinandus a S. Bartholomaeo Ordinis MM. Strictioris Observantiæ ex Vicarius Generalis.*

*Rev. P. Antonius Beer Clericus Regularis Societatis Jesu.*

*Rev. P. Sylvester de Stefano Rector Ecclesiæ Parochialis S. Catharinæ, et Præfectus Piæ Domus Clericorum Regularium infirmis ministrantium hujus Civitatis.*

*Ex Clero Saeculari Foraneo*

*Admod. Rev. Domini*

*Dominus Dominicus Nisco Abbas Collegiatæ Ecclesiæ et Vicarius Foraneus Terræ S. Georgii de Montanea, atque Cubicularius honorarius SSmi DD. PP. Gregorii XVI.*

*Dominus Franciscus Xaverius Fierimonte Archipresbyter Collegiatæ Ecclesiæ, et Vicarius Foraneus Terræ Montismilitum.*

*Dominus Paschalis Barionovi Thesaurarius Collegiatæ Ecclesiæ Cervinariæ, Sac. Theologiæ Doctor, et Cubicularius honorarius extra Urbem SS. DD. PP. Gregorii XVI.*

*Ex Clero Regulari Foraneo*

*Admod. Rev. P. Dominus Michael de Gennaro Congregationis Benedictinæ Virginianorum, Sacræ Theologiæ Doctor, Parochus, et Vic. Foraneus Terranovæ Montisvirginis.*

*Admod. Rever. Pat. Felix Antonius e Murcone Ordinis Minor. Cappuccinor. ex-Provincialis, et Definitor Provinciæ S. Angeli.*

*Rever. P. Vincentius Prisco Clericus Regularis Congregationis SS. Redemptoris.*

JOANNES BAPTISTA CARD. ARCH.







*Paschalis Can. Ventura Synodi Secr.*